

patrocinari: imò recentius Serveti delirium postliminò quasi in Ecclesiam reducere. Vide Iræneum l. 2. cap. 48. & 49. Hist. Magd. Cont. 2.

V. Quia occasionem multis absurdis & impijs speculationibus præbet: id quod ex Osiandri somnio, cui hanc opinionem fundamenti loco substravit, patet.

VI. Quia Filius DEI λόγος dicitur, non ob hunc generationis modum: Sed quia partim per istud verbū sive λόγον omnia cōdita sunt Gen. 1, 3. Psal. 33, 6. Ioh. 1, 3. partim quia Filius, qui est in sinu Patris, nobis revelavit mysterium Evangelij, æternis temporibus tacitum &c. Ioh. 1, 18. Rom. 16, 25. 86. Rursus qui Affirmativam sunt tuiti, 1. Orthodoxorum Patrum autoritate se stare dixerunt, Qui Filium DEI non tantum ratione Creationis, aut revelationis mysteriorum Evangelij: Sed & respectu Patris, & quidem æternæ hujus generationis λόγον appellatum statuunt: ut videre est apud Basilium in sermone super verba Iohannis, (in principio erat verbum): Et Greg. Naz. orat. 2. πρὸ τοῦ λόγου. Item Hilarium. l. 2. de Trin. Cyrillum & alios complures.

87. Et profectò si paulò altius Scripturarum oracula excusiamus, haud videtur verisimile.